

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 6 (1892)

Artikel: Syllabus Pii Pontificis Noni in universa re philosophica iuxta mentem S. Thomae Aquinatis recentiumque philosophorum [Fortsetzung]
Autor: Angelis-Stella, Guilelmum De
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761961>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 25.11.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

SYLLABUS PII PONTIFICIS NONI IN UNIVERSA RE
PHILOSOPHICA IUXTA MENTEM S. THOMAE
AQUINATIS RECENTIUMQUE PHILOSOPHORUM

per Prof. Dr. Guilelmum De Angelis-Stella Neapolitanum
evolutus.

Deducunt vero mundum sensim efformatum fuisse, proinde notionem creationis esse prorsus absurdam, quia creatio vindicat vim extra mundum positam et ab omni materia sejunctam. Enarratis sententiis philosophorum de hac gravissima quaestione, theoriam creationis, quam fides catholica nos edocet, et scholastici iuxta patres defenderunt, rationi unice convenire vindicemus oportet. Et in primis utimur argumentis indirectis. Sane, ut origo mundi explicetur, dicendum, vel quod mundus sit aeternus ratione materiae sive ratione formae; vel quod materia sit aeterna, et Deus formam in tempore sit elargitus; vel quod mundus sit Dei emanatio; vel denique a Deo sit e nihilo eductus, et in ordinem redactus; atqui harum sententiarum priores falsae sunt dicendae; ergo ultima est vindicanda vera. Equidem utraque hypothesis de materia sive informi sive forma praedita, quod sit ingenita omnino repugnat. Si enim materia esset infecta, certe necessitate suae naturae existeret, ideo et immutabilis quoque esset. Quidquid certe non est ab alio, est ingenitum, scilicet ex se; neque medium aliquod inter haec duo potest excogitari: uti S. Augustinus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Anselmus vindicarunt. Quod autem est ex se, necessitate suae naturae existit, atque est immutabile; ergo materia aeterna esset immutabilis; atqui ex adversariorum confessione hoc dici nequit; ergo materia non est vindicanda aeterna. Ex quo vides iure antiquos patres philosophis defensoribus aeternitatis materiae objecisse, quod ipsi materiam Deo aequalem facerent, ac deos binos permiscerent: ita Theophilus, Athenagoras, Methodius, Ambrosius, ac signanter Tertullianus, qui Hermogeni ita respondebat: Quis enim alius Dei census quam aeternitas? quis alius aeternitatis status quam semper fuisse et futurum esse ex praerogativa nullius initii atque finis. Ita Hermogenes duos deos infert: materiam parem Deo; certe adaequabitur Deo materia, cum aeterna censetur. Secunda

vero sententia ita oppugnatur: Si materia informis non esset a Deo facta, nil certe Deus in ipsam agere potuisset. Nam ut Deus huic informi materiae formam largitus fuisset, ipsa Deo erat subiicienda ad formam recipiendam; atqui materia quae est ingenita non potest provenire ab aliqua causa anteriori, neque ulli causae exteriori subiici; ergo materia informis nulla ratione concipi potest. Sic argumentatus fuit S. Justinus in Platonem, et Tertullianus in Hermogenem, his verbis: Ego prima et Ego ante omnia, et Ego a quo omnia, pares fuimus . . . sine auctore, sine Deo. Quis me Deo subiicit contemporali coetaneo? Praeterea si materia esset ingenita, nihil ex ea fieri potuisset. Etenim id quod est ingenitum, nullam admittit mutationem; atqui nihil ex eo, quod est incapax mutationis, fieri potest. Namque illud ex quo aliquid fit, mutatur in id quod fit; ergo concludebat Lactantius: Materia si facta non est, ne fieri ex ea quidquam quidem potest. Denique cum Deus infinita polleat potentia, certe non est putandum in creatione mundi materia praeexistenti eguisse, sicuti caeteri opifices in suis operis peragendis. S. Thomas, 1^a p. q. XLV art. II: Respondeo dicendum, quod non solum oportet considerare emanationem alicuius entis particularis ab aliquo particulari agente, sed etiam emanationem totius entis a causa universali, quae est Deus. Et hanc quidem emanationem designamus nomine creationis. Quod autem procedit secundum emanationem particularem, non praesupponitur emanationi, sicut si generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fuit ex non homine. Unde si consideretur emanatio totius entis universalis a primo principio, impossibile est, quod aliquod ens praesupponatur huic emanationi. Idem autem est nihil, quod nullum ens. Sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo; ita creatio quae est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est nihil. Ita argumentatus est Athanasius adversus Platonem, S. Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Augustinus ac Bernardus, qui ita loquitur: Frustra philosophi materiam quaerunt, non eguit materia Deus. Non enim officinam quaesivit, non artificem. Ipse per se, in se omnia fecit. Quare de nihilo nequit unquam aliquid fieri. Quod si repugnat materiam, quocumque modo concipiatur, ingenitam esse, repugnat quidem ingenitas dari atomos, quippe et ipsae, licet insecabiles, sunt materiae partes. Sed licet dentur atomi ingenitae, certe evenire non potuit, quod et singulae res et universa mundi compages efficeretur. Certe ex adhuc dictis, quod est ingenitum nullam patitur mutationem; ergo si atomi forent ingenitae, essent quidem immutabiles, ideoque nihil de ipsis efformari potuisset. Equidem res corporeas non

posse efformari ex atomis, praeter Lactantium, damus vadem S. Augustinum: Si concesseris esse atomos, si concesseris etiam concursu fortuito seipsas pellere et agitare, num et illis fas est concedere, ut inter se atomi fortuito concurrentes rem aliquam ita conficiant, ut eam formā modificent, figurā determinent, aequalitate poliant, colore illustrent, animā vegetent. A fortiori idem dicatur de rebus ratione utentibus: ita Lactantius: Putemus artus et ossa et nervos et sanguinem de atomis posse concrecere. Ecquid sensus, cogitatio, memoria, mens, ingenium, quibus sensibus coagmentari possunt? Quomodo ergo sine ratione cōeuntia efficere possunt aliquid rationale? ergo neque aliquid materiale neque aliquid spirituale ab atomis concurrentibus effici potuit. Quod si nulla ex rebus mundanis atomi efformarunt, a fortiori totam mundi compagem coagmentare nequiverunt. Cuncta enim quae in mundo sunt, perfectissimo finium nexu continentur; ergo absurdum est, tam mirum ordinem atque rerum harmoniam fortuito atomorum concursu adscita fuisse. Lactantius aiebat: Quo igitur consilio, qua ratione de confuso acervo se atomi congregaverunt, ut ex aliis terrae inferius conglobarentur, caelum desuper tenderetur, tanta siderum varietate distinctum, ut nihil unquam ornatus possit excogitari. Tanta ergo qui videat et talia, potest existimare nullo effecta esse consilio, nulla providentia, nulla ratione divina, sed ex atomis subtilibus concreta esse tanta miracula. Nonne prodigio simile est, aut natum esse hominem qui haec diceret, aut extitisse qui crederet? Sed praestat demonstrationi indirectae etiam directam superaddere. Res, quae in mundo exstant, non ex se sunt, ergo sunt ab alio; atqui hoc aliud non est nisi Deus, ergo res creatae sunt solum a Deo. Equidem illud, a quo res sumunt suum esse, oportet ut sit ens a seipso, nempe per suam essentiam existens; hoc autem ens per essentiam est Deus, quare Augustinus aiebat: Summum est illud bonum, cuius participatione sunt bona caetera; ergo res creatae sunt a Deo. Reliquum est ut demonstramus, quomodo res a Deo esse suum habeant. Dicitur non potest Deum ex materia praesistenti res condere. Etenim causae naturales materiam expostulant, tamquam subiectum, e quo effectum producant, quia non producant ens simpliciter, sed dumtaxat transmutant ens; atqui Deus non solum transmutat ens, quod aliquo modo iam existit, sed ens simpliciter producit; cum enim totam entis perfectionem in se contineat, ab eo originem omnia entia et proinde ipsa materia, quae et quoddam ens est, habent; ergo Deus non indiguit materia ad res creandas, sed illas e nihilo eduxit. Praeterea, iuxta S. Augustinum contra Platonicos, etiamsi

Deus mundum ex materia informi condiderit, ipsam quidem e nihilo evocavit. Namque omnium bonorum auctor est Deus; atqui bonum non solum est id, quod formam habet, sed etiam quod est capax recipiendi formam; ergo ipsa capacitas est nonnullum ens; ergo si Deus condidit mundum ex materia informi, haec etiam a Deo exordium habuit. Sed haec omnia, quibus Deum esse causam mundi effectricem probavimus, tamen non probant Deum esse causam materialem ac formalem mundi. Primi erroris David de Dinando auctor fuit; secundum Almericus Carnotensis, uti penes S. Thomam potest videri, instauravit. Ad hos errores repellendos S. Thomae argumentis quidem utimur. Causa effectrix rei alicuius si convenit in specie cum re quam efficit, ab ea tamen numero distinguitur; quia aliquid esse causam sui ipsius repugnat, uti homo qui hominem gignit: alius est enim homo qui gignit, alius homo qui gignitur. Cum causa autem materiali causa effectrix ne specie quidem convenit, quia causa materialis denotat aliquid quod est in potentia, causa effectrix aliquid quod est in actu; proinde Deus, causa effectrix mundi, non potuit neque causa materialis neque formalis illius esse. Equidem cum Deus sit causa mundi infinite intelligens, res mundanas e nihilo eduxit secundum exemplaria earum, quae in se habuit. S. Thomas, I. I^a p. q. XLV docebat: Manifestum est ea quae naturaliter fiunt, determinatas formas consequi. Haec autem formarum determinatio oportet, quod reducatur sicut in primum principium in divinam Sapientiam, quae ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet dicere, quod in divina Sapientia sunt rationes omnium rerum, quas supra diximus ideas. Quamobrem Patres Origenes, Eusebius, Augustinus distinguebant mundum intelligibilem in mente Dei existentem a mundo adspectabili. Et S. Anselmus animadvertibat: Quare cum ea quae facta sunt clarum sit nihil fuisse, antequam fierent; quantum ad hoc, quia non prout quod nunc sunt, nec erat, ex quo fierent; non tamen nihil erant quantum ad rationem facientis, per quam fierent. His dictis ad complendas sententias, quod mundus sit ex aliqua materia praejacente vel chaotica, vel prorsus determinata; opus est ut explicemus illud effatum: ex nihilo nihil fit, quo adversarii abutuntur, quodque a Xenophane primo fuit in-
vectum. Sane cum nihilum non existat, absurdum est, nihilum esse vel causam efficientem vel causam materialem alicuius rei; quare si illud effatum alterutro sensu sumatur, verum est, aiente S. Bonaventura. Cum dicitur ex nihilo aliquid fieri, potest intelligi dupliciter: aut materialiter, ut ex ferro cultellus, aut causaliter, ut ex patre filius, aut ordinaliter, uti de mane fit

meridies. Primis duobus modis verum est ex nihilo nihil fieri, tertio modo verum est secundum naturam. Ex quibus facile patescit, creationem, cum sit productio rei in esse secundum totam suam substantiam, posse dupliciter productionem e nihilo appellari: primo, quia illud quod creatur, non fit ex aliqua materia praejacenti; secundo, quia antequam sit creatio, erat nihilum. Priori ratione negatur rem creatam ordinem habere ad quamlibet materiam praejacentem. Altera vero ratione asseritur rem creatam ordinem habere ad nihilum, quatenus illa suapte natura est post nihilum, uti ex mane fit meridies. Eiusmodi autem productio rei in esse secundum totam substantiam nulli causae finitae convenire potest; quia omnis causa finita determinata virtute pollet, et determinatam postulat distantiam. Verum inter esse et nihil infinita adest distantia; ergo omnis causa finita in sua actione necessario requirit non nihil, sed aliquod esse praeexistens. Ex quibus concluditur ejusmodi productionem causae infinitae convenire. Deo enim, uti causae primae, primus effectus, id est esse simpliciter, convenit; atqui esse, quod in creatione producitur, est esse simpliciter, quare S. Thomas aiebat: esse autem simpliciter per creationem causatur, quae nihil praesupponit, quia non potest aliquid praeexistere, quod sit extra ens simpliciter; ergo Deus de nihilo absoluto mundum condidit. Devictis sententiis, quae asserunt mundum ex informi materia effectum, item quae tenent mundum fuisse qualis nunc videtur; vindicata autem sententia, quae tenet mundum a Deo per creationem prodiisse, superest ut in Neoplatonicos dimicemus, qui asserunt mundum ab aeterno fuisse creatum necessario, ob necessitatem causae creantis. Quae quidem controversia est maximi momenti; quia nonnulli increduli atque rationalistae pantheismum dissimulare cupientes, creationem mundi haud negant, sed duo pantheismi corollaria amplectuntur, quae cum creatione pugnant, nempe infinitatem atque aeternitatem mundi. Heic tamen admonemus nos non disserere de celebri quaestione, an mundus ab aeterno creari potuerit, diu agitata inter scholasticos antiquos recentioresque, ac praecipue Scotistas, acriter a S. Thoma defensa, sed potius loqui de facto: utrum mundus necessario ab aeterno fuerit a Deo creatus. His positus, sic argumentamur: Nulli philosopho christiano licet dubitare, quin Deus mundum in tempore creaverit; nam ex Scripturarum testimoniis praesertim intelligitur, e Genesi in primis, atque ab Innocentio III c. Firmiter concilii Lateranensis fuit definitum. Sed quoniam philosophi, quibuscum conserimus, revelationem divinam vel aperte despiciunt, vel si admittere simulant, male illam intelligunt, ideo

demonstramus necesse non fuisse, mundum ab aeterno creari, proinde dogma catholicum de temporanea mundi duratione nullis argumentis posse oppugnari. S. Thomas sic directe ad rem nostram argumentatur, cont. g. lib. II c. 31: Ex efficiente causa sequitur, quod effectum necesse sit esse ex hoc, quod agentem necesse sit agere; per actionem enim agentis, effectus a causa efficiente dependet. Si igitur agentem non necesse est agere ad productionem effectus, nec effectus necesse est absolute. Deus autem non agit ex aliqua necessitate ad creaturarum productionem . . . non est igitur absolute necesse creaturam esse, necessitate dependente a causa efficiente. Quod argumentum totam suam vim ex eo percipit, quod Deus non est causa necessaria, sed libera mundi, quia sicut poterat a creatione mundi abstinere, ita illum in tempore creare potuerit: Quod ita se res habeat, ita cum Aquinate disserimus: Si Deus est causa necessaria mundi, id ex alterutro capite proveniat oportet, vel quod illum producat ex necessitate naturae, non iam ex voluntate, vel quod producat ex voluntate necessaria non libera. Sed neutrum dici potest; non primum, quia est comperta pantheismi conclusio, quare S. Doctor ait: Deus cum sit essentia sua intelligens, per intellectum agit. Intellectus autem non agit aliquem effectum, nisi mediante voluntate, cuius obiectum est bonum intellectum, quod, uti finis, movet agentem. Deus igitur per voluntatem agit, non per necessitatem naturae. Nec alterum potest probari; Aquinas enim scribit: Voluntas non ex necessitate fertur in ea, quae sunt ad finem, si finis sine his esse possit. Cum igitur divina Bonitas sine aliis esse possit, quin immo nec per alia illi aliquid augeatur, nulla inest in Eo necessitas, ut alia velit eo quod suam velit bonitatem. Ad Thomam quidem addimus S. Ambrosium, in opere Hexaemeron: Plerique, qui coaeternum Deo mundum esse volunt, asserunt illum etiam sua sponte subsistere; at quamvis ejus causam Deum esse fateantur, tamen causam volunt non ex voluntate et dispositione sua, sed ita ut causa umbrae est corpus. Adhaeret enim umbra corpori, et fulgor lumini, naturali potius societate, quam voluntate arbitra. Huc accedunt argumenta e traditione desumpta. Omnes antiqui philosophi, teste ipso Aristotele aeternitatis mundi assertore, quamdam originem mundo tribuerunt. Quae quidem communis opinio non ope contemplationis naturae fuit ab eis inventa, sed ex traditione accepta; namque agitur de re, quae mentes philosophorum mirum in modum vexaverit. Quare Genuensis scribebat: Quaecumque patet tellus, omnique tempore vetusta, neque usquam interrupta traditione, persuasum fuit homines atque hunc globum aliquam habuisse

originem. Hanc veritatem veterrimi populi Aegyptii, Phoenices, Judaei, Persae, Chaldaei, Aethiopes, Scytae, Thraces, Jones, Graeci, Etrusci aliique ad occidentem solem vergentes, senserunt. Id Jndae, Siamenses, Sinenses antiqui recentisque, id Peruviani, Mexicani, totusque novus mundus acerrime voluerunt. Alterum argumentum ex historia sacra et profana colligitur. Namque omnibus est compertum, ea quae historiae scriptores gentium memoriae prodiderunt, citra narrationem mosaicam evenisse, quae et est antiquissima, et, propter humanae fidei monumenta, omnem fidem meretur. Lucretius enim cecinit:

Praeterea, si nulla fuit genitatis origo
 Terrai et caeli, semperque aeterna fuere,
 Cur supra bellum thebanum et funera Trojae,
 Non alias alii quoque res cecinere poetae?
 Quo tot facta virum toties cecidere, nec unquam
 Aeternis famae monumentis insita florent?

ZEITSCHRIFTENSCHAU.

A. Zeitschriften für Philosophie und spekulative Theologie.

Annales de philosophie chrétienne. CXXII, 2.—5. Heft 1891. *P. Vallet*: L'hérédité 113. *Ch. Huit*: Coup d'oeil sur le vocabulaire philosophique contemporain 128. *Domet de Vorges*: La perception et la psychologie thomiste (Forts. vgl. VI, 125 ds. Jahrb.) 138. 337. *F. Duquesnoy*: Les preuves de l'existence de Dieu réduites à une preuve unique 161. *A. Barberis*: Des symboles mathématiques que l'on pourrait employer en logique (Schluß; vgl. VI, 125 a. a. O.) 183. Encyclique de *S. S. Léon XIII* sur la condition des ouvriers 212. *Mgr. D. Mercier*: Les deux critiques de Kant 269. *A. Havard*: La théorie de l'évidence d'après Descartes 288. *Ch. Braig*: La matière 309. 468. *Mouret et G. Lechalas*: Force et Masse 325. *J. Gardair*: Les principes de la raison pure 361. *C. C. Charaux*: La civilisation et la Pensée 369. *De Broglie*: Les vices logiques du livre I de la géométrie classique 387. *L. Maisonneuve*: La psychologie physiologique 405. *A. Farges*: Théorie de la perception immédiate d'après Aristote et S. Thomas 441. *L. Jouvin*: Le sentiment moral; — le nécessaire et le contingent 487. *P. Ragey*: La philosophie et le temps présent 512. — Revue des livres. Revue des Revues.

Divus Thomas. Vol. IV. (Annus XII) 15—16 Fasciculus. 1891. *P. de Groot*: De auctoritate Aristotelis 226. *Aloy. Rotelli*: Commentaria in quaestiones D. Thomae S. theol. III. qu. 1—26 (Forts. vgl. VI, 125 a. a. O.) 230. *J. B. Chabot*: Commentaria in quaestiones D. Thomae S. theol. I. qu. 27—43 (Forts. vgl. VI, 125 a. a. O.) 233. *V. Ermoni*: Existentia Dei et philosophus christianus (Forts. vgl. VI, 125 a. a. O.) 235. *J. B.*: De immaculata B. M. Virginis conceptione (Forts. vgl. VI, 125 a. a. O.) 240.